

36d

37  
Ba

George Frederic  
de Boortel

+

COLLEGGII<sup>33</sup>  
POLITICI

DISPUTATIO SECUNDA,

<sup>De</sup>  
SOCIETATE HUMANA  
IN GENERE,

<sup>Quam</sup>  
In Florentissimâ, Celeberrimâq; Mar-  
chicorum Academiâ,

*DEO Ter optimo Maximo adspirante,*

*Amplissimâ Facultate Philosophicâ suffragante*

PRÆSIDE

*Viro Praclarissimo*

DN. M. ELIA GREBENIZ,

Regiomonto-Marchico, Fautore & Præce-  
ptore suo ætatem devenerando,

*Ex Praelectionibus Ejusdem collectam venti-  
landam proponit*

ad diem 4. Februarij

loco horisq; destinatis,

JACOBUS Gannoteau / Stet. Pom.

AUTOR & RESPONDENS.

Calcographæo RÖSNERIANO, 1654.

COLLEGI

POLITICI

DIRECTIO SECUNDA

SOCIETATE HUMANA

IN GENERE

In Universitate, Goldschmidt, Mar-

chionum Academia

DEO TO optima Maxima assistente

Magistro Johanne Christiano Goldschmidt

PRÆSIDIO

in Universitate

DR. MEDICINÆ GREGORIUS

in Universitate, Goldschmidt, Mar-

chionum Academia

DEO TO optima Maxima assistente

Magistro Johanne Christiano Goldschmidt

PRÆSIDIO

in Universitate

JACOBI GREGORIUS

in Universitate, Goldschmidt, Mar-

chionum Academia

DEO TO optima Maxima assistente





A & Ω!

**D**Ræclarè tanquam ex Appollinis  
cortina, dictum illud à Stagirite omni-  
um, quos antè & post acta secula tulê-  
re, Philosophorum Principe 1. Pol. c. 2.  
ὁ δὲ μὴ δυνάμει κοινωνεῖν, ἢ μηδὲν δέο-  
μεν δι' αὐτάρκειαν, οὐδὲν μέρει πόλε-  
ως, ὡς ἢ θερίον ἢ θεός. Id est: *Qui au-*  
*tem in societate nequit esse, qui vè nihili indiget, propter suffi-*  
*cientiam, nulla pars est Civitatis; adeoq; aut bestia aut DEUS,*  
Etenim Societas catena quædam videtur, quâ res humanæ  
contineantur & feliciter serventur, indeque Philosophus  
eum, qui extra hominum consortium constitutus est, aut  
beluam aut DEUM salutare non dubitavit; DEUM quidem  
propter sufficientiam, quâ sibi ipsi sufficiens non alio in-  
digeret; Beluam autem, nam cum beluis vita ipsi transi-  
genda foret, cum nullius conversationis humanæ particeps  
esset. Operæ itaque mihi pretium facturus videor, dum  
nobilissimam hanc Materiam oculis in superficiem defi-  
xis rimari, animum induco. Sit itaque societatis hu-  
manæ Primâ Causâ & Autore T. O. M. annuente,

A 2

Seçt.

## Sectio I.



§. 1.

Societas humana variis expositum est ὁμοθυμίασις, ex quibus tamen potissimas saltem delibabimus: Societas Humana, dicitur esse I. vel ἐν ἰσότητι, inter aequales, ut quæ Amicorum, Collegarum, Principum, &c. Vel ἐν ὑπεροχῇ, ἐν ἀζία καὶ ἀζίαν, inter inaequales, ut quæ Parentum & Liberorum, Domini & servorum, Mariti & Uxoris, Magistratus & Subditorum. Vide Aristotelem l. 8. Ethic. c. 6. & 7. Illam privatam, hæc publicam & Politicam docendæ causâ indigitamus. Equidem sibi admodum cognatæ sunt, conveniunt enim fine generali, dum utraq; τὸ συμφέρον spectant: Nam hujus gratia societatem privatam coeunt homines, & communicatio Politica utilitatis causâ primitus instituta est, & hucusq; conservata; Diversæ tamen sunt, disconveniunt enim fine speciali & proprio: Nam privatæ Societates spectant τὰ κατὰ μέρος, bona particularia; Politica autem Societas finem habet τὸ κοινὸν συμφέρον, quod omnibus communiter est utile. 2. Vel licita, quæ juxta præscriptum & lumen sanæ rationis contrahitur; Vel illicita, quæ circa res illicitas, vel illicito modo, aut fine conglutinatur. Nos in præsentiarum tantum rationem habemus Societatis humanæ τῆς ἐν ὑπεροχῇ, quæ inter inæquales instituto congruo ordine sive dispositione secundum superiores & inferiores existit, quæq; lege rationis licita est.

§. 2. Cæteroquin appellatur *communio hominum*, quod homines sibi fiant communes, per communicata inter se bona; *Vita socia*, quod vitam cum aliis degere faciat; Item *Consortium*, quod homines eâ inter se devincti, pari sorte & fortunâ fruantur, &c.

## Sectio II.

§. 3. *Efficiens Societatis humanæ*, alia prima est, alia secunda: Primam agnoscimus DEUM, ille enim ut conjunctio foret inter homines foemellam è viri costâ finxit, eamq; in matrimonium Adamo adjunxit, deinde iisdem benedicens liberos suscipi voluit, Societatemq;

temq; primam hoc modo instituit, ex qua cæteræ Societates suam originem deducunt; appetitum Societatis omnibus indidit; Officia item utriusq; partis, Mariti & uxoris, parentum & liberorum, Dominorum & servorum, Magistratus & subditorum certis legibus sanxit, præmiis firmavit, pœnis adstrinxit. *Secundæ cause* sunt illi, qui Societates condiderunt, Familias, Vicos, Civitates, Respublicas & Regna instituendo, leges ferendo, vel deniq; modum administrandi præscribendo.

§. 4. *Movens ad intra est natura*, quæ hominibus Societatis appetitum implantavit. Homo enim est φύσει ζῷον πολιτικόν, *natura animal Politicum*, communionis amans, & ad vitæ Societatem factum, quod nobis Doctor Doctorum, velut eum Lipsius salutatur, l. 1. Polit. c. 1. 2. & 7. 3. Politic. c. 4. 9. Ethic. c. 9. Eudem. c. 10. 1. de Histor. Animal. c. 5. tradit. Homo est πολιτικόν ζῷον πάσης μελίτησ ἢ πάντος ἀγελαίσ ζῷσ μάλλον, *civile animal magis, quam omnis apis, & omne animal gregarium* 1. Polit. c. 2. Et hoc quidem ipsum 1. non experientia saltem stultorum pariter ac sapientum magistra testatur, sed etiam. 2. Primò generandi & genus humanum conservandi innata cupiditas. Etenim quæ jam in individuo se conservare nequeunt, per propagationem in specie conservant: Unde nascitur appetitus Veneris, non homini Solum, sed & cæteris animantibus communis. Quia dicente Justin. de Jur. nat. instit. à Jure naturæ descendit maris ac fœminæ conjunctio, quam nos matrimonium appellamus; Et ante eum Cicero 1. de offic. Commune animantibus omnibus est, conjunctionis appetitus, procreandi causa & cura eorum, quæ procreata sunt. Ante utrumq; Aristot. 1. Politic. c. 1. Necessè est, primùm copulari eos, qui se juncti esse non possunt, cœn fœminam & marem procreandi causa. Atq; hoc non modò consilio aut voluntate, sed quemadmodum & in aliis animantibus & stirpibus, naturâ datum est appetere, quale ipsum est, tale relinquere alterum. Innuit Aristoteles primis verbis etiam aliam rationem istius naturalis appetitus, quàm 1. Phys. cap. ult. exponit, Imperfectum scilicet, qualis fœmina est, naturaliter appetere sui perfectionem in mare: apud Arniseum lib. Pol. 1. c. 2. pag. m. 30. Secundo sermonis usus, quo uno verè secundum Plutarchum Homo differt à brutis. Hunc

tis. Hunc enim propterea homini natura indidit, ut animi sui sen-  
 sa aliis exprimere possit. Unde voces dicuntur à Philosopho *lib.*  
*de Interpret. c. 1.* τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, *Affectuum*  
*in animo signa.* Hoc autem oportet in Societate fieri. Tertio cona-  
 tus & debitum alios juvandi: Non nobis, inquit *lib. 2. de finibus Ci-*  
*cero,* saltem nati sumus, sed ortus nostri partem Parentes, partem  
 amici, partem Patria ipsa sibi vendicat; Et innumerabilia parenti-  
 bus, omnia verò Diis immortalibus debemus. At verò quomo-  
 do proximi nostri commoda promovere possumus, nisi Societati  
 humanæ nos insinuemus? Hæc omnia forent irrita, nisi ad Socie-  
 tatem homo natus esset; Jam verò Deus & natura nil faciunt fru-  
 stra. E. 3. Probat hoc Philosophus à contrario: Οἱ ἀπολις διὰ φύ-  
 σιν, καὶ δὲ διὰ τύχην, ἢ τοὶ Φαῦλος ἐσιν, ἢ κρείτων, ἢ ἀνθρώπων,  
 ille, qui absq; civitate vivit per naturam, & non per fortunam, aut ma-  
 lus est, aut melior, quàm homo; Vel, ut paulò post loquitur, ἢ θη-  
 ερίου ἢ θεοῦ, aut bestia, aut DEUS: Deus quidem, quòδ μηδὲν  
 δεόμενος δι' ἀνάγκην; Bestia autem, quòδ φύσει καὶ ἀφρητῶς,  
 ἀθήμενος, ἀνέστιος, καὶ πολέμου ἐπιθυμητὸς, ἅτε πρὸς ἄζυξ, ὡς πρὸς  
 ἐν πείνειοις, quia non tantum sine tribu, jure, domo, sed etiam belli cu-  
 pidus foret, ut qui nullo retinetur jugo, utq; volatilia. Igitur, qui nec  
 malus, nec melior est, quàm homo, vel, aut Deus, aut bestia, ne-  
 cesse est, ut sit politicus & civilis; φύσει μὲν ἐν ἡ ὁρμῇ ἐν πᾶ-  
 σι ἐπὶ τὴν ἑαυτῆς κοινωνίαν, concludit Aristoteles *1. Polit. c. 1. 4.* à  
*fine,* quia finis Societatis à naturâ perfectionem sui intendente ap-  
 petitur, adeoq; ea ipsa. Et hoc est, quod Aristoteles ait: διὸ πᾶ-  
 σα πόλις φύσει ὄσιν, εἰπὼς καὶ οἱ πρῶται κοινωνία τέλει γὰρ αὐτὴ ἐ-  
 κείνων. Nobis calculum suum adjicit ipse Imperator *l. 2. ff. de J. & J.*  
 asserens, causam externam fuisse naturam, eamq; ideo Societati ju-  
 re gentium primævo adscribi solere. Vide plura apud Arnif. *l. 1. Polit.*  
*in pr. sect. 1. Besold. Class. 1. Disp. 1. Thes. 13. Liebenthal. Colleg. Politic.*  
*Exerc. 2. Q. 1. Heider. Politic. c. 1. p. m. 28. Henon. Disp. Polit. 1. t. 4. lit.*  
*a. Schönborn. l. 1. Politic. cap. 4. & c.* Imo hinc patet, vel solam na-  
 turam, cessantibus omnibus aliis causis, nos incitare & compellere  
 ad Societatem colendam.



§. 5. Facessant itaq; Epicurei qui Societatem humanam ortam  
dicunt, hominibus fortuito atomorum instar confluentibus. Vid.  
Cic. lib. 2. de Natura DEorum. Abeant Plato lib. 3. de LL. Machiav.  
lib. 1. disc. ad. 1. Dec. Liv. cap. 1. Johan. Marrian. lib. 1. de reg. instit. c. 1.  
Ovid. lib. 1. Metamorph. Bodin. l. 1. de Republic. c. 6. &c. Qui homines  
putant egestate & tempestate potissimum coactos Societatem iniis-  
se. Valeant, qui cum Vitruvio eos ignis miraculo, calore, fomento  
compulsos fuisse somniant. Nos cum Aristotele, ejusq; Schola  
asseveramus, omnem Societatem humanam à DEO institutam, & à  
natura ad eam nos incitari; Quod tamen non *ὁσούτω* de omni  
Societate, sed cum grano solis & distinctionis accipimus: Magis  
enim naturalis est Societas nuptialis, paterna, aliaq; quæ minus  
libertatem tollit; Non ita verò Societas herilis, Magistratus, quæ-  
que servitutem importat. Hanc, nequis nobis objiciat, esse con-  
tra naturam & violentam, cum omnes naturâ ad libertatem simus  
proclives, servitutem autem horreamus, imò Societatem herilem,  
& Magistratus esse pœnam à DEO hominibus immittam, ut coër-  
ceantur, & in ordinem redigantur: Igitur distinguimus. 1. Inter  
id, quod *naturale est absolute & in se*; & quod *conditionate*, ex sup-  
positione alicujus rei tale est, quomodo Societas herilis posse au-  
diri naturalis videtur, præacceptâ hæc conditione, quòd natura sem-  
per sibi bonum intendat, & ad id nitatur, cum servo verò naturâ  
tali ita comparatum fit, ut non bene vivere possit, nisi serviat &  
subditus fuerit, igitur ad servitutem, ut naturæ suæ convenientem,  
à naturâ natus dicendus venit, sicq; etiam aliquo modo Societas illa  
naturalis, naturâ, id quod sibi maximè congruum est, appetente,  
evadit, non violenta, accidentalis aut fortuita. Vel 2. Servus dicitur  
secundum Naturam non sui ipsius, sed secundum naturam in totum  
alterius. Non autem, ut *habet Thomas in comment. l. 1. Polit.* Sui  
ipsius secundum naturam est, sed in totum alterius, qui aptitudinem  
habet naturalem, ut alterius sit, in quantum scilicet non potest regi  
ratione propria, perquam tamen homo sui est Dominus, sed solum  
ratione alterius. Vel 3. quia naturæ & sanæ rationi conveniens est:  
Convenit enim secundum naturam meliori, seu Domino naturâ,  
ut imperet ignobiliori, seu naturâ servo. Quemadmodum in ho-  
mine

mine secundum naturam bene disposito, animo ut meliori, corpori  
tanquam ignobiliori per modum Domini imperare debet, ut id do-  
cet Arist. 1. Polit. cap. 3. & 5. 4. Distinguiamus inter rem & modum  
rei; Societatem conjugalem quidem absolute naturalem esse puta-  
mus, ἡσυχαστῶν & quoad rem, non ita ἡσυχαστῶν & modum, quo  
jam à lapsu Protoplastorum habet, ut quod mulier sub viri Impe-  
rium missa sit.

§. 6. *Movens ad extra, seu secundaria causa est 1. Indigentia;*  
Cum enim nemo hominum ἀνθρώπων esset, & ea, quorum opus ad  
vivendum simul, & ad bene vivendum sibi solus comparare pos-  
set, nec DEUS uni vel homini, vel genti omnia concesserit,  
eocunda fuit Soietas, ut homines conjungerent suas operas, sicq;  
facilius ea, quorum vita mortalium indigebat, consequerentur. Est  
autem duplex indigentia, vel *naturalis*, eorum quibus carere planè  
non possumus v. g. panis, ædium, vestitus, &c. Vel *accidentalis*  
illorum, quæ quidem non necessaria, quamvis horum adminiculo  
commodius vivatur, e. g. purpuræ, gemmarum, &c. Quibus è  
speciebus prior illa potissimum congregavit homines, qui tamen  
ortus Societatis humanæ minùs, ut ait Cicero, generosus esse videtur.  
Item l. 1. offic. ut, inquit, apum examina, non fingendorum favorum  
causâ congregantur, sed cum congregabilia naturâ sint, fingunt favos:  
Sic homines ac multò etiam magis naturâ congregati, adhibent agendi,  
cogitandiq; solertiam. Ibid. neq; verum est quod dicitur à quibusdam  
propter necessitatem vitæ, quod ea, quæ natura desideraret, consequi sine  
aliis atq; efficere non possemus, idcirco initam esse cum hominibus communi-  
tatem & Societatem. Quod si omnia nobis, quæ ad victum cultumq; per-  
tinent, quasi virgulâ divinâ, ut ajunt, suppediarentur, tum optimo quis-  
que ingenio, negotiis omnibus omisis, totum se in cognitione & scientiâ  
collocaret. Non est ita: Nam & Solitudinem fugeret, & Socium studii  
quereret, cum docere, tum discere vellet. Quibus Verbis Cicero  
non negat, indigentiam esse causam Societatis humanæ, sed tantum  
eam esse primariam: Id quod etiam ex allatis constat.

§. 7. 2. *Injuria*, quæ partim interna, partim externa, seu ipsa  
hominum malitia; quæ, ut Seneca verbis utar lib. 2. de Ira c. 8. tum  
temporis adeò in publicum missa est, & in omnium pectoribus invaluit, ut  
innocen-

*innocentia non rara, sed nulla fuerit.* Cum itaq; præter feras inter ipsos homines valentior imbecillem, opulentior pauperem, potentior infirmiore premere,

*Pisces ut sæpe minutos*

*Magnus comest, ut aves enecat accipiter,*

Opus fuit, ut reliquas Societates & maximè civilem instituerent, Magistratus legerent, qui prudentiâ cuncta gubernarent, omnes cogitationes in populi curâ defigerent, subditorum salutem tuerentur, lites dirimerent, dissidia componerent, & potentiâ ferociiores reprimerent.

§. 8. *Materia sunt Homines*, non enim de brutorum congregatione, aut de familiaritate hominum cum bestiis, aut de conjunctione DEI, Angelorum, hominum, & Diabolorum agimus, sed de hominis cum homine communione. Ad hanc vero requiruntur, qui sociabiles & idonei censentur, hoc est, qui sibi invicem subsidio esse possunt & cupiunt, & res operasq; suas conjungere, seu aliquid dare & vicissim accipere. Unde efficitur ex iis, qui sibi mutuò auxilio esse nequeunt, aut certe nolunt, adeoq; discordant, coalescere Societatem & perdurare non posse.

§. 9. *Formam* dicere possumus animorum, voluntatum, rerum, operarum, & juris cujusdam, quod ut interveniat, oportet, conjunctionem. Ubi cum primis talis attendenda, quæ congruo & certo ordine per superioris & inferioris rationem disposita est, non tumultuaria, confusa & Cyclopica. Deinde quoq; notandum, regulam & normam Societatis humanæ esse legem & præscriptum rationis, adeò ut nisi juxta illud instituat & tota dirigatur, planè degeneret, nec nomine Societatis, sed detestandæ colluviei veniat; indeq; requiritur, ut Societas legitimo modo & fine contrahatur.

§. 10. Incidit hîc ventilandum, *An Societas Humana Bonum Morale essentialiter includat?* Quod non, suaderi potest ob has causas. 1. Quia Bonum Morale est Qualitas; Et confirmatur, quia Societas est quoq; Mali receptiva. 2. Quia est soli virtuti essentialis. 3. Philosophus 3. *Politic. c. 3. & 5. Ethic. c. 1. & 2.* distinguit inter virum & civem Bonum. Et 3. *Polit. c. 6.* asserit, Civitatem esse

B

se Civi-

se Civitatem etiam absq; Justitiã, sed non rectam: ideoq; colligitur, hoc præsubstrato, Societatem Politicam bonitatem moralem non necessario involvere. 4. Si Societas Humana formaliter implicat Bonum morale, nec Romanorum, nec Græcorum, nec quævis alia Respl. fuisset talis, cum nulla dari possit, quæ non aliquã ex parte audiat injusta & corrupta. Quod verò sic, mihi videtur: Nam 1. Principia Politica ab Ethicis essentialiter dependent, eisq; subordinantur, non secus ac Physica Principia à Metaphysicis fluunt: Quod itaq; Ethica formaliter includunt, id quoq; Politicis conveniat, necessum est. 2. Aliàs nasceretur Chymara illa Florentina, utpote societas & politia, sine ullâ lege & justitia constituta. Ad 1. Argumentum respondeo, confundi Denominatum & Denominativum, sive Materiale & Formale, per Fallaciam compositionis & divisionis. 2. Committi Fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter; Exclusiva non excludit quodvis, sed tantum Oppositum, non Subordinatum. 3. Negatur Consequentia à Distinctione tali ad talem: Committitur item Homonymia in voce Civitatis, quæ sumitur vel amplè, prout & Finem Politices & illius oppositum complectitur, sicq; tam pro civitate rectã, quàm corruptã accipitur; Vel angustè & proprio suo significato, prout à Politicã intenditur. 4. Negatur 1. Consequentia, à priori enim fit denominatio. 2. Destinguitur inter Essentiam & Existentiam Reipublicæ, prout de jure & suã naturã esse debet, & prout de facto esse solet, & ut in Individuo reperitur; Eãdem consequentiã demonstraretur, nullum hominem esse sapientem aut prudentem, ut enim talis inveniatur, qualem definimus, ne Diogenis Lucerna quidem aut Argi oculi sufficiunt.

§. II. *Finis Societatis est τὸ κοινὴν συμφέρον, commune bonum, hoc enim fine colunt homines Societatem, ut simul bono frui queant. Intelligimus autem bonum non φαινομένως, sed ἀληθῶς tale, per se non per aliud, absolutè, non comparatè sumtum: atq; adeo bonum honestum πρώτως, licet quoq; non excludamus utile & jucundum, cum hæc illud consequi possint. Deinde loquimur de Jure, & eo, quod juxta præscriptum rectæ rationis fieri debet, non de facto, quod fieri à vulgo solet: Non enim negari potest,*  
vulga-

vulgus potissimum τὸ χεῖρισμον Spectare, & propterea Societatem inire.

§. 12. Cognata Societati est Amicitia, utraq; enim Spectat τὸ ἀγαθόν, & illius gratiã instituitur; Opposita autem vita Eremitica, vel Solitaria. De hac quæritur, an licita sit, & præferenda vitæ Politicæ? Solitariorum duo sunt genera, ut Philosophus 1. Polit. cap. 2. innuit, 1. Sunt, qui διὰ τύχην, per fortunam solitariam vitam vivunt, ut exules, 2. διὰ φύσιν, per naturam, qui rursus sunt bigeneres: Quidam enim tales sunt, vel ex morbo ut phrenetici, vel ex beluinâ improbitate & feritate, ut fures, sicarii, &c. Quod genus homines bestias nominat Aristoteles l. 7. Ethic. c. 5. Quidam studio Sapientiæ ex mediâ hominum turba secedunt, ut sine interpellatione rerum scrutiniis vacent; Aut singulari instinctu Virtutis Heroicæ Solitariam vitam instituunt, ut precum & sanctitatis impedimenta declinent. Et illos quidem cæcâ κακοζολίᾳ pleriq; Monachorum & Anachoretarum æmulati sunt. Hanc contemplationem, quæ Philosophis Beatitudo Theoretica est, Aristoteles l. 10. Ethic. c. 7. Practicæ multis nominibus præfert, quam Sententiam quoq; Posteritas Peripatetica, ut veriore, maximâ ex parte retinet. De illis autem lib. 1. Polit. cap. 2. pronunciat, ἀπὸ λυδᾶ esse nequam, aut homine meliorem. His annumerandi sunt illi, qui quidem inter homines vivunt, sed vivere nesciunt, ut sunt Lucifugæ, Catones, & μισάνθρωποι. Verbo, Vitæ tam Eremiticæ, quam Politicæ finis est Deus, Nos ipsi & proximus: Huc utraq; dirigenda, & quæ magis eò facit, deligenda; Circumspiciendum item, quæ æquior sit nostris viribus, & quam ferre valeant humeri: Diversas enim sibi poscunt: Illa quidem Heroicas, & peculiare, hanc vulgaribus & communibus contentâ. Qui his neglectis Diogenis vitam sectantur, temeritate & stultitiâ aguntur.

§. 13. Idq; probatur; 1. Quia pugnat illorum vita cum communi hominum naturâ, 2. Cum hominum fine: Non enim nobis tantum nati sumus, sed ortus nostri partem Patria nostra vendicat, partem parentes, partem amici. Cic. 1. Offic. & Aristot. 8. Polit. c. 1.

B 2

3. Quia

3. Quia occasionem majorem peccandi offert, immò fenestram aperit tentationibus Diabolicis. Hinc *Seneca epist. 61.* ait: *Omnia nobis mala solitudo persuadet. Nemo est, cui, non est sanctius esse cum quolibet, quàm secum.* 4. Quia vitam Solitariam habet *S. Sacra* maledictionem *Genes. c. 4. Deuter. c. 28. & Psalmo. 107.* 5. Etiam Sancti homines Sociam vitam inierunt.

§. 14. Argumenta, quibus vita Eremitica propugnari potest, præcipua erunt hæc: 1. Multis in locis *S. Scriptura* vitam solitariam asserit, *Luc. c. 1. & 10. Hebr. c. 11. 1. Reg. c. 19.* 2. Quia hæc vita hominem à curis & improborum conversatione avocat, idq; efficit, ut cupiditatibus mundanis nuncium remittat, & duntaxat rerum contemplatione devinciatur. 3. Prætenditur mandatum & exemplum *Christi*, qui frequentavit montes, nemora, & loca ab hominum congressu remota. 4. Adducuntur Exempla Sanctorum & Philosophorum quàm plurimum. Verum hæc minùs habent in recessu, quàm in fronte promittunt: Dicta *S. Sacra* malè detorquentur, cum de longè alià ratione vitæ loquantur; Deinde non facienda sunt mala, ut inde eveniant bona; Exempla itidem adducta partim sunt aliena, partim non veniunt in Exempla trahenda, sed potius admiranda. De hoc fusiùs *Danæus libro 2. Polit. Christianæ. c. 3.*

§. 15. Dispiciendum hic etiam, *quanam sint iste res, quæ communes esse requiruntur in Societate humanâ, & quousque ea communio valeat?* Plato ex sententiâ *Socratis lib. de Republ.* communionem civilem eò extendit, ut ad vitam Politicam requiri statuat, non tantùm omnes in universum possessiones, quæ per familiarum discrimina appropriantur; Verùm etiam uxorum & liberorum communionem. Platoni accesserunt Stoici & moderni Anabaptistæ; Rationes, quas prætenderint, hæc sunt: 1. A causa Efficiente tum primâ, jubente, talem communionem *Deuteron. 15.* observante eam *Job. 12.* Quod confirmatur, quia *Christi actio* est nostra institutio. Tum secundâ: Quia natura impellit nos ad uxorum communionem: E. illa est bona. Et confirmatur, quia omnia naturalia sunt bona, uti videre est in brutis, quæ naturâ duce communionem excolunt. 2. Ab Effecto: Quia 1. nihil esset infidiarum & discordiarum, quæ tum ex omni propriâ possessione, tum

tum præsertim ex uxorum oritur. Hinc *Plato l. 9. d. LL. ait: Il-*  
*lam Civitatem beatam, in quâ meum & tuum non audiuntur.*  
2. Communio mulierum facit plurimum ad amplificandum genus  
humanum, in quem finem matrimonium introductum est. 3. Quam  
plurimos efficit cognatos & Affines; Atq; adeo homines consan-  
guinitate & Affinitate constringit. 3. Ab Exemplo primitivæ  
*Ecclesiæ Actor. cap. 4. & 12.* 4. Omne bonum est communicati-  
vum sui.

§. 16. Quarum rerum & quousq; Communio, quæ ad So-  
cietatem Humanam requiritur, extendenda, in specie felicius qui-  
dem docetur; In genere tamen hoc etiam de illâ tradi potest;  
quod instituenda sit juxta normam naturalis luminis, ut evadat vir-  
tuosa & honesta; Quod item non absoluta sit, omniumq; prorsus  
rerum, cyclopica & cæca, sed secundum quid talis, prudens &  
moderata. His principiis contravenit Platonica illa confusio,  
quare illam ut absurdam cum Aristotele, & cum Theologis ut hæ-  
reticam detestamur. Pugnat hæc sententia 1. Cum jure naturæ  
& sanâ ratione. 2. Lege *Genes. cap. 2.* & institutione Divinâ,  
quia propriam possessionem bonorum ipse DEUS instituit,  
dum divisionem terrarum præcepit. 3. Infinita hinc propullu-  
lant absurda: Septimum & octavum Præceptum supervacaneum  
esset & irritum, siquidem horum nullus foret usus, nec non man-  
datum de Elemosynis frustra esset latum, & quod quilibet sibi suis-  
que debeat consulere, tolleretur omnis liberalitas, omnis amicitia  
utilis, lata porta aperiretur Fratribus ignorantia & socordia, cum,  
rebus ita comparatis, non magis prodesset scientia & vigilantia,  
quàm ignorantia & socordia, nulla esset cura circa educationem,  
removeretur discrimen graduum, consanguinitatis & familiarum,  
sequeretur item ignorantia certorum parentum, liberorum, fra-  
trum, sororum, moribus introducerentur summa flagitia, ut sunt  
incestus & adulteria, diminueretur *soq; n* liberorum, Parentum,  
fratrum, sororum, conjugum, & id genus alia diluvii instar totum  
humanum genus inundarent, & brevi pessum irent.

§. 17. Ad 1. rationem ex *Deuteron. cap. 15.* desumptam respon-  
demus, dictum illud potius esse legis Judicialis, quàm Moralis; De-

inde præcipere saltem sustentationem & adjumentum, non verò adæquationem & Communionem omnium bonorum. Idem etiam respondendum est ad Christi jussum *Joh. 12.* ad confirmationem, Christi actionem esse nostram institutionem, hoc valere in actionibus, ad quas per præceptum divinum vel universale vel particulare obstricti sumus: Absurdam enim & temerariam esse acceptionem de omnibus actionibus, quas Christus suscepit. Ad Argumentum à naturâ petatum distinguimus inter naturam sanam & vesaniam, ejusq; appetitum ordinatum & inordinatum; Notamus item naturalia sumi vel in se, quatenus sunt indifferentia, vel quatenus sub Actionem Moralem cadunt & sic vel mali vel boni rationem induunt. Ad 2. *rationem*, brevi regerimus, non facienda mala, ut inde eveniant bona; & simul perpendenda mala, quæ brutalis illa communio attractura foret, profectò longè majora, quàm bona illa, quæ per accidens inde resultarent, si ita possibile forent. Ad 3. *respondetur*, Exemplis non judicandum, sed legibus; Si interdum ratiocinium ab iis deductum procedat, illud accidit propter similem rationem & consequentiam rerum, mediiorum, & adjunctorum. e.g. Israelitæ dolo spoliarunt Ægyptios auro & argento. E. Idem etiã cuivis licet, scilicet proximū dolo capere, & bonis emungere; Non progreditur illa consequentia, quia dissimilitudo deprehenditur in Exemplis, cum Israelitæ adjunctum habuerint mandatū Dei, quo tamen præter illos quisquis destituitur. Ad 4. *dicimus* illud Axioma Metaphysicū malè detorqueri ad bestialē hanc communionem: Intelligendū enim est 1. de communicatione non semper nec essariā, sed interdū quoq; liberā 2. Juxta aptitudinē & naturam tum Communicantis, tum Recipientis: *Omne enim receptivum recipit non ad modum imprimentis, sed ad modum receptivitatis suæ. Scalig. Exerc. 36. Sect. 2.* 3. Quousq; decet. 4. Non semper de *κρήσει*, sed modò interdum de *χρήσει* &c. De quo plura *Sapientes cap. de Bon.* Sufficit jam ostendisse, illam Maximam nil facere ad rhombum.

§. 18. Quæritur etiam, *num in statu innocentie Societas humana futura fuisset?* De Societate quidem Nuptiali & Paternā nulla est controversia, sed de Herili, & Magistratus dissentiunt Philosophi. Affirmativam sententiam tuentur *Thomas de Aquino part. 1. summa quest.*



*quest. 9. Arri 3. & 4. Duns l. 4. Sent. Lombard. Distinct. 15. q. 2. Besold. class. 1. Disp. Pol. 1. Thes. 26. Velsten. Decad. 8. Polit. q. 1. Reinhard. König Theatro Polit. part. 1. c. 1. §. 33. Perer. in Genes. l. 4. p. 1. n. 77. Arri. l. 1. Polit. c. 2. Danaeus l. 1. Polit. Christian. c. 4. Keckermann. sub præcognit. l. 1. System. Pol. Timpl. l. 1. Pol. c. 3. q. 10. Hænon. disp. Pol. 1. Thes. 7. Wendeler. l. 2. Philos. Pract. sub Proæm. q. 3. Ratio 1. Ordo omnino necessarius fuisset; Jam verò omnis ordo in aliquo primo, aut capite, quod reliquis membris præsit, consistit. 2. Inter Angelos est quædam inæqualitas, quorum alii sunt inferiores, alii superiores. 3. Aliàs sequeretur, Politicam, & simili ratione Ethicam fore per accidens. 4. Aliàs virtutis non fuisset præmium. 5. Est à naturâ. 6. Est per se bonum quid.*

§. 19. Negant Augustin. l. 19. de Civit. DEI c. 15. Antonius Mirandulan. 11. libro de Honor. Lutherus in cap. 2. Genes. Hunn. Tom. 3. Liebenb. Colleg. Polit. Disp. 1. Quest. 15. ob sequentes rationes. 1. Officium Magistratus est. 1. Honesta præcipere. 2. Vetare inhonesta. 3. Cõercere legum transgressores, 4. Defendere subditos, Jam verò nullum ex his necessarium fuisset. *Jacob. Martini cent. 8. quest. illustr. 9.* 2. Reipublicæ constitutio æquè est maledictio, seu peccati pœna à DEO hominibus imposita, & primævæ libertatis amisio, ac Evæ subjectio. Ad contraria argumenta responderi potest, 1. & 2. Ordinem concedendo, sed non talem, cum non necesse sit, ut omne tali ordine consistat. Ad 3. Negatur 1. Consequentia à Politicâ ad Ethicam; & de Politicâ conceditur. 2. Distinguitur inter rem & modum rei: Ethica quidem non ut in se est, contingens fuisset, ut tamen se jam habet. Ad 4. Negatur Consequentia: Virtus præter quod *avtaen's* adhuc splendiora habet præmia. Ad 5. dicitur, Societatem herilem & statum Politicum esse à naturâ tantum conditionatè, ut constat ex §. 5. Ad 6. Ridiculum videtur omne per se bonum compingere in statum Integritatis. Quod adhuc *Danaeus d. l.* inquit: Quasi tot sint maledictionis DEI testimonia, quot inter homines regna, Resve publicæ jam constitutæ videntur: Responderi potest, illa verba speciosè efficere, ut per transennam peccati atrocitas & DEI severitas adspiciantur; Hæc profectò longè plura, imò infinita edit, nobisq; infinitas pœnas & maledictiones peccata nostra conflarent.

§. 20. Huic itaq; Sententiæ ut veritati magis consentaneæ accedimus; Si verò cum præcedente possit conciliari, tenendum illud videtur ex §. 5. Ubi distinximus inter rem & modum rei Societatis conjugalis, ita etiam distinguendum putamus hîc inter ipsam Societatem herilem & Politicam, & inter modum, quem jam post ἀποστασίου Protoplastorum nacta est: Pro illâ militat prior sententia; Pro hoc posterior; Et sic utraq; consistit. Accinit nobis Hænon. cit. loc. Verba ejus hæc sunt: Fuiſſet tamen Politicum imperium longè ab his imperiis, quæ post peccatum & nunc habemus, differens. Nam & æquitate & iustitiâ fuiſſet ordinatissimum & clementissimum, fuiſſet sanctissimum & justissimum, omninò tamen certo ordine & politiâ certâ, naturaq; potiùs, quàm aliunde prognata, in illo primo statu extitisset. Bene superiores omnia imperassent, sponte inferiores obtemperassent.

§. 21. Considerandum quoq; foret, an cum Infidelibus & Hæreticis esset fidelibus societas ineunda? At vela contrahentes, ex præmissis hanc Definitionem Societatis humane exstructum imus: Societas humana est conjunctio hominum communis boni gratiâ. Genus desumimus à Formâ, & Differentiam à Materiâ & Fine: Quod in accidentibus definiendis tradunt Logici ex Thomâ c. 7. de Ente & Essentia pag. m. 476. & seq. Aliquàm multa quidem evolvenda restarent, sed angustiâ chartæ exclusi subsistimus, additis modò his

### COROLLARIIS:

- I. Actio est in patiente, & non in agente.
- II. Sunt facienda mala, ut inde eveniant bona.
- III. Intellectus intelligit omnia, l. 3. de Anima text. 4. Et intelligendo fit omnia text. 12.
- IV. An, si quis habuerit digitum magnum instar turris, ille digitus esset adhuc pars illius hominis, & tamen esset major toto homine, adeoq; totum non semper majus, sed etiam minus suâ parte?
- V. Gallus etiam assus potest esse causa pullorum.
- VI. Sol calefacit, nec tamen calidus est.
- VII. Rationale, per se sumptum, non convertitur cum homine: quia illius est differentia specifica. Confer Javell. Tract. Log. 4. c. 4. p. 91. Hornei. Diss. Log. 2. th. 14. p. 28. Item Brunneinan. Enchirid. Log. b. 3. m. 2. c. 2. Log. Top. 2. p. 352. &c.
- IIIX. Per aulam vacuum avis volare non posset.

In Sublimiorem DEI Gloriam |

Ad Præstantissimum & Doctissimum Domi-  
num Respondentem προσφώνησις.

**H**umanum genus heu! dum jurgia, bella ferendo  
Progenies Satana dissociare studet.

Tu tamen haud dubitas, sociabile debeat esse  
Quod genus hoc, doctâ voce probare palam.

Nec temerè: quoniam reliquo licet exulet orbe

Mutua servandi vincula cura gravis;

Mitia corda tamen, documentaq; publica, cunctos

Quæ deceant homines, nostra Lycæa decent.

Det Deus, ut quod nunc monstrasti commodum, honestum

Verbis, consilio req; juvare queas.

M. ERASMUS SCULTETUS,

Eloquent. Profefs. Publ. Ordin.



**Q**uisquis Hamadryades facilem sibi poscere curam

Autumat, haut rectâ ducitur ille viâ:

Ardua namq; Dij faciunt quærenda labore,

Sudore hinc dicti vendere quæque bona.

Multa tulit, nimium quantum sudavit & alsit,

Metam Pieridum tangere quisquis avet:

Id tecum volvens, constanti pectore gaudes,

HANNOTEAU, Clariis invigilare Choris.

Doctissimo Dn. Respondenti Auditori

suo industria appon.

Præses.

Ehe

**E** Gedann der Hæthon  
Läßt die frisch-gespannen Pferde  
An Glimpens hellen Thron  
Schnelle jagen umb die Erde/  
Und auß seiner braunen Hand  
Kuncken fallen auff das Land/  
Pfllegt die grantzten dieser Welt  
Erst Aurora zuersteigen/  
Und den Leuthen in dem Feld  
Ihre rothes Haar zu zeigen/  
Die den Wiesen neue Krafft  
Treußen ab/ deß Laues-safft.  
Also giebet zu verstehn  
Schon im Morgen seiner Jugend/  
Der bemühet ist zu gehn  
Nach das Schlos der Edlen Tugend/  
Welcher Sinn was hohes heckt  
Bleibt in düstren nicht versteckt.  
Wer wil dann/ Herr Hanethon/  
An euch einen Zweifel tragen/  
Weil ihr/ frischer Musen-Sohn/

Bey


By annoch gelentzten Tagen  
Eures Alters / offenbahr  
Wachet der Gelehrten Schaar.

Was euch in so kurtzer Zeit  
Grebenitz hat eingegossen  
Von der Edlen Wissenheit /  
Welche jener nur für Bossen  
Nchtet / dessen dummen Geist  
Niemand recht hat unterweist.

Wo ihr ferner fahret fort  
Euren blassen Fleiß zu führen /  
Könnet ihr der Künste Port  
Noch vor anderen anrühren /  
Der euch dann nach dieser Zeit  
Krönen wird mit Ewigkeit.

Dieses weinige schrieb seinem  
höchstgeehrtem Freunde

Joannes Schirmeister  
von Güstrow auß Meckelnburg.

  
*Contendis meritò ingenio sociare laborem  
Et tibi sibus specimen condere rite tuis.*

Han/

*Hannoteau) felix fortunâ & stirpe paternâ,  
Te sociis Clario dignus, amore, Choro.  
Maestè esto virtute tua, Svavisfime, gentis,  
Atque huic virtutem jungere perge tuam.  
Non minùs ac Homines sociabilis afficit ardor,  
Donec dissociet, falx truculenda Necis:  
Excellentis virtus Musis sociata Brabea  
Cultori semper consociare potest.*

*Ita Consalaneo suo svavisfimo luben-  
tissimè invito licet calamo omi-  
nari quævis faustissima voluit*

*Michael Magirus,  
Marchicus.*

*Est decus hoc magnum multos triville libellos,  
At magè doctrinas addidicisse juvat;  
Nec didicisse satis, tacitaque recondere mente,  
Sed decet in clarum promere quæq; diem.  
Idem RESPONDENS per amice revolvis, aprico  
Sistens, queis valeas dotibus ingenij  
Haustas atque artes cunctorum exponere telis  
Est animus, sic laus crescet ubiq; tua.*

*Dn. Respondentis studiis quelibet  
fausta apprecans, scripsit*

*SILVESTER Braunschweig/  
Colberg. Pom.*

*MS(o)S*

00 A 6456

ULB Halle

3


002 929 244



R

Worm









B.I.G.

Farbkarte #13

3f.

33

# REGII TICI

SECUNDA,

## HUMANA NERE,

eleberrimaq; Mar-  
Academiâ,

*Maximo adspirante,*

*Philosophicâ suffragante*  
SIDE

*clarissimo*

## GREBENIZ,

co, Fautore & Præce-

devenerando,

*idem collectam venti-*


*proponit*

Februarij

destinatis,

noteau / Stet. Pom.

RESPONDENS.



ERIANO, 1654.

